DE

ATTRACTIONIS PRONOMINIS RELATIVI

USU SOPHOCLEO.

SCRIPSIT

FRIDERICUS DIETRICH
Dr. Phil.

DARMSTADII.

TYPIS EXPRESSIT G. OTTO.

MDCCCLXXIII.

DE

ATTRACTIONIS PRONOMINIS RELATIVI

USU SOPHOCLEO.

COMMENTATIO

QUAM

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS DIETRICH.

DARMSTADII.

TYPIS EXPRESSIT G. OTTO.

MDCCCLXXIII.

Ut in omnibus linguis sic etiam in graeca lingua non omnibus temporibus certae rationes dicendi fuerunt, sed semper mutantur et formae vocabulorum et constructiones enunciationum.

Graeci qui aetate Homerica fuerunt aliter loquebantur, quam qui tempore bellorum Persicorum, atque Miltiadis aequales rursus alia dicendi ratione utebantur, quam qui postea vitam egerunt.

Sed hae linguae mutationes sensim sensimque et secundum certas leges fiunt. Atque si veteres scriptores comparamus cum recentioribus has leges facile perspicere et progressum linguae clare cognoscere possumus. Quum in aliis rebus tum in pronominis relativi usu hoc facile cognoscitur. Quod quum initio pronomen demonstrativum esset, jam apud Homerum videmus paulatim transire in usum quem relativum vocamus; deinde arctius etiam cum voce, ad quam refertur, cohaeret, et hic est usus, cui attractionis nomen tribui solet.

Qua de attractione pronominis relativi jam multi scripserunt viri docti, sed usus longe non ita cognitus est, ut sine ulla dubitatione sit. Atque ut certas hujus usus regulas constituere possimus, singuli qui attractione quae vocatur usi sunt scriptores perscrutandi omnesque loci quibus est attractio pronominis relativi diligenter notandi et attente spectandi videntur. Itaque recentiore tempore

nonnulli viri docti de usu pronominis relativi attracti apud singulos auctores scripserunt, Isidorus Krause „de duorum attractionis generum usu apud tragicos, dissertatio inauguralis philologica“ et Riccardus Foerster „de attractionis in graeca lingua usu quaestionum particula I. De attractionis usu Aeschyleo. Dissertatio inauguralis philologica.“ Hos secutus de attractionis usu Sophocleo scribere constitui.

Jam in constituendis regulis, quas in utenda attractione pronominis relativi Sophocles secutus videtur, hunc ordinem sequamur, ut primum locos enumeremus, quibus attractio est, tum iis diligenter spectatis leges definiamus, quae valent in attractionis usu Sophocleo.

PARS PRIOR.

De locis Sophocleis quibus est attractio.

Sophocles multo frequentius pronominis relativi attractione usu est, quam Aeschylus, qui primus praebet exempla illius usus; nam in Aeschyli fabulis, quae ad nostram pervenerunt aetatem septem, octo inveniuntur exempla, cfr. Foerster, pag. 43, sed in Sophoclis tragoediis iisdem septem exempla 49 exstant, quae his locis inveniuntur:

Antig. 1068.
Aj. 115, 993.
Trach. 241, 346, 399, 623, 680, 1121, 1208. 1232.
Electra 169, 177, 319, 431, 763, 771, 873, 1048, 1108, 1220, 1378.
Oed. Reg. 119, 148, 314, 350, 578, 788,[1] 862, 1424.[2]
Philoct. 52, 253, 588, 844,[3] 907, 1012, 1191, 1227, 1394.
Oed. Col. 50, 334, 478, 778,[4] 976, 991, 1145, 1155, 1412, 1489.

---

[1] O. R. 707 adnotat Krausius; sed injuria. Cfr. pag. 32 hujus commentationis.

[2] In Krausii versuum serie notatur O. R. 1416, qui locus in editione Nauckiana, qua usus sum, est versus 1424.

[3] Phil. 844 fugit Krausium.

[4] Oed. C. 778 fugit Krausium.

Attractio pronominis relativi iis tantummodo locis usurpatur, quibus accusativus pronominis relativi refertur ad antecedens nomen, quod in genetivo aut dativo positum est, aut, quum saepe hoc vocabulum, ad quod pronomen relativum refertur, omittatur, in genetivo aut dativo positum esset, si locum haberet. Itaque Graeci saepe, ut est in Soph. Trach. 1208, dicebant „*τῶν ἐμῶν κακῶν ὧν ἔχω*“ pro *τῶν ἐμῶν κακῶν ἃ ἔχω*, et pro „*μήτε τούτοις ὑπεράχθεο οὓς ἐχθαίρεις*“ *μήτε τούτοις ὑπεράχθεο οἷς ἐχθαίρεις*, uti legimus Electr. 177.

Itaque nobis distinguenda sunt duo genera pronominis relativi attracti:

A. Genetivus pronominis relativi attracti et

B. Dativus pronominis relativi attracti.

A.

Genetivus pronominis relativi attractus.

In Sophoclis tragoediis exstant hujus generis 42 exempla et quidem his locis:

Antig. 1068.
Aj. 115, 993.
Trach. 241, 346, 399, 623, 680, 1121, 1208, 1232.
Electr. 169, 319, 431, 763, 771, 873, 1048, 1108, 1220, 1378.
Oed. Reg. 119, 148, 314, 578, 788, 862, 1424.
Phil. 52, 253, 588, 844, 1191, 1227, 1394.
Oed. Col. 50, 788, 976, 991, 1145, 1155, 1489.

In enunciationibus relativis attractis rursus distinguendae sunt eae enunciationes, quae substantivo attributi loco adduntur, quas vulgo enunciationes attributivas appellamus, et eae enunciationes relativae, quae per se con-

stantes a vocabulo enunciationis primariae, quod aut nomen aut verbum aut adverbium esse potest, pendent, quae ergo substantivi loco positae objectum aut aliam quandam definitionem enunciationis continent. Alterum genus appellabimus Foerstero auctore: genus attributivum, alterum: genus substantivum.

a. **Genus attributivum.**

Hoc in genere attributivo enunciatio relativa omnino usurpat locum attributi, quod ad substantivum referendum est, qua de causa enunciationis relativae loco adjectivum aut participium aliquod poni potest. Ex hoc genere clare et dilucide intelligi potest, quomodo attractionis usus ortus sit. Graeci homines, qui consueverant adjectivum ei substantivo, cui est attributum, genere, numero, casu accommodatum usurpare, hac concordia etiam iis locis uti conabantur, ubi non quidem adjectivum aut aliud nomen, quod adjectivi ratione ponitur, sed ubi enunciatio erat, quae idem valebat atque attributum nominale. Hic usus, de quo agitur, demonstretur exemplo, quo facilius intelligi possit. Aj. 993.

ὦ τῶν ἁπάντων δὴ θεαμάτων ἐμοὶ ἄλγιστον ὧν προςεῖδον,
i. e. „O spectaculum maxime invisum mihi omnium spectaculorum, quae vidi“. Hac in enunciatione *ὧν προςεῖδον* positum est per attractionem pro *ἃ προςεῖδον*, „quae spectavi“, atque haec enunciatio relativa, ut cuique erit facile intellectu, idem valet atque participium passivi: *ὀφθέντων ὑπ᾿ ἐμοῦ*, omnium a me spectatorum spectaculorum.“

Exempla hujus generis, quae apud Sophoclem inveniuntur, ita collocemus, ut in unum colligamus locum, quae idem verbum praebent in enunciatione relativa. Nam attractionem apud certa verba inprimis esse in usu infra videbimus. Loci quibus exstat verbum v i d e n d i hi sunt:

Trach. 241.

εὐχαῖς, ὅθ' ᾕρει τῶνδ' ἀνάστατον δόρει
χώραν γυναικῶν ὧν ὁρᾷς ἐν ὄμμασιν,

γυναικῶν ὧν ὁρᾷς pro *γυναικῶν ἃς ὁρᾷς, — γυναικῶν ὀφθεισῶν,* feminarum, quas vides, — feminarum abs te spectatarum. Aj. 993 supra citatum.

Electr. 763.

μέγιστα πάντων ὧν ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν,

πάντων κακῶν ὧν pro *πάντων κακῶν ἅ, μέγιστα κακῶν ὑπ' ἐμοῦ ὀφθέντων,* — maxima a me spectatorum malorum.

Sequuntur loci quibus sunt verba h a b e n d i.

Trach. 623.

λόγων τε πίστιν ὧν ἔχεις ἐφαρμόσαι,

λόγων ὧν ἔχεις pro *λόγων οὓς ἔχεις*, eorum vocabulorum, quae dixisti, — vocabulorum abs te dictorum.

Ibid. 1208.

οὐ δῆτ' ἔγωγ', ἀλλ' ὧν ἔχω παιώνιον
καὶ μοῦνον ἰατῆρα τῶν ἐμῶν κακῶν,

ἰατῆρα τῶν ἐμῶν κακῶν ὧν ἔχω pro *ἰατῆρα τῶν ἐμῶν κακῶν ἃ ἔχω.*

El. 873.

φέρω γὰρ ἡδονάς τε κἀνάπαυλαν ὧν
πάροιθεν εἶχες καὶ κατέστενες κακῶν.

ἀνάπαυλαν κακῶν ὧν pro *ἀνάπαυλαν κακῶν ἅ,* malorum a te sustentorum. Locum tenent inde exempla duo cum verbo d i c e n d i:

Phil 844.

ὧν δ' ἂν ἀμείβῃ μ' αὖθις πέμπε λόγων φάμαν,

φάμαν λόγων ὧν ἀμείβῃ pro *φάμαν λόγων οὓς ἀμείβῃ, — λόγων ὑπό σου ῥηθέντων,* vocem verborum, quae dicis, — vocem abs te dictorum verborum.

Ibid. 1191.

τί ῥέξοντες ἀλλοκότῳ
γνώμᾳ τῶν πάρος, ὧν προὔφαινες;

τῶν πάρος ὧν προὔφαινες pro *τῶν πάρος ἃ προὔφαινες,* — *τῶν πάρος λεγομένων,* — verborum, quae antea dixisti, — antea abs te dictorum.

Sequuntur duo exempla in quibus verbis a u d i e n d i usus est poëta.

El. 1108.

> *οἴμοι τάλαιν', οὐ δή ποθ' ἧς ἠκούσαμεν*
> *φήμης φέροντες ἐμφανῆ τεκμήρια;*

φήμης ἧς ἠκούσαμεν pro *φήμης ἣν ἠκούσαμεν,* nuntii, quem audivimus, — nuntii a nobis accepti.

Phil. 588.

> *δεῖ δή σ' ἔμοιγ' ἐλθόντα προσφιλῆ, λόγων*
> *κρύψαι πρὸς ἡμᾶς μηδέν' ὧν ἀκήκοας,*

μηδένα λόγων ὧν pro *μηδένα λόγων οὕς,* nullum verborum, quae audisti, — nullum nuntiorum abs te auditorum.

Unum exstat exemplum cum verbo d o c e n d i.

Trach. 680.

> *ἐγὼ γὰρ ὧν ὁ θὴρ με προὐδιδάξατο*
> *παρῆκα θεσμῶν οὐδέν',*

τῶν θεσμῶν ὧν με προὐδιδάξατο pro *τῶν θεσμῶν, οὕς με προὐδιδάξατο,* eorum praeceptorum, quae mihi centaurus ille dedit, nihil oblitus sum.

Eandem significationem haberet participium *τῶν θεσμῶν ὑπὸ τοῦ θηρὸς διδαχθέντων,* — praeceptorum mihi datorum.

Nomen ad quod refertur enunciatio relativa positum est aut ante enunciationem relativam ut Aj. 993, Phil. 588, 1191, Trach. 241, 623, aut post eam El. 873, 1108, 763, Trach, 680, 1208, Phil 844. Neque semper illud nomen tenet locum proximum enunciationi relativae, sive ante sive post illam positum est, sed sejunctum ab ea invenitur vocabulis interpositis, Aj. 993, Phil. 588, Trach. 623, 680. — Nomen a quo pendet enunciatio relativa aliud vocabulum et articulum secum habere potest El. 763, Aj. 993, Trach. 1208. Interdum supervacaneae videntur enunciationes re-

lativae attractae, quum repetant, quae jam ante attributo expressa sunt. Trach. 241 *τῶνδε γυναικῶν ὧν ὁρᾷς*, quo loco pronomen demonstrativum tam graviter ad feminas pertinet ut *ὧν ὁρᾷς* (quas vides) supervacaneum videatur. — Etiam dilucidius perspici potest illa res Trach. 1208 *τῶν ἐμῶν κακῶν ὧν ἔχω*, meorum malorum, quae mihi sunt. Mala quae habeo sunt mea mala, itaque supervacanea videtur enunciatio relativa. — Enunciationes relativae attractae parvae sunt, nam constant ex duobus aut tribus vocabulis, semel ex quatuor Trach. 680. — Observanda haec sunt jam hoc loco, ut, si infra regulas certas de usu attractionis Sophocleo definire conabimur, summam faciamus eorum, quae in singulis exemplis observavimus.

b. **Genus substantivum.**

Sequitur alterum genus enunciationum attractarum relativarum, quod appellavimus genus substantivum; tractandae sunt hoc loco enunciationes relativae attractae, quae non sunt attributa substantivi alicujus, sed quae per se constantes locum tenent, ergo substantivi loco sunt positae. Jam harum enunciationum indoles ac natura talis esse potest, ut aut a nomine aliquo aut a verbo aut a praepositione pendeant, id est, ut ejus casus locum teneant, quem ab illo nomine aut verbo aut praepositione pendere alioquin videmus. Distinguenda igitur tria talium enunciationum genera sunt:

1. genus substantivum a nomine,
2. genus substantivum a verbo,
3. genus substantivum a praepositione pendens.

Quoniam autem plura sunt nominis genera, in illo ipso genere substantivo a nomine pendenti rursus distinguendae sunt plures species:

α. enunciationes relativae attractae, quae pendent a nomine substantivo;

β. enunciationes relativae attractae, quae pendent a pronomine aut a nomine numerali.

1. Genus substantivum pendens a nomine.

α. Genus substantivum pendens a nomine substantivo.

Inveniuntur apud Sophoclem haec hujus generis exempla:

El. 771.

δεινὸν τὸ τίκτειν ἐστίν· οὐδὲ γὰρ κακῶς
πάσχοντι μῖσος ὧν τέκῃ προςγίγνεται.

In hoc exemplo *μῖσος ὧν τέκῃ* pro *μῖσος τούτων οὓς τέκῃ*, — odium eorum quos genuit; enunciatio relativa idem valet atque substantivum, „odium liberorum, natorum“. Est igitur genetivi objectivi loco.

Eodem modo enunciatio relativa attracta significationem genetivi objectivi habet his locis:

Oed. Reg. 578.

ἄρνησις οὐκ ἔνεστιν ὧν ἀνιστορεῖς,

pro *ἄρνησις τούτων ἃ ἀνιστορεῖς*, negatio eorum, quae rogavisti, i. e. „negatio rogationis“.

Ibid. 1424.

ἀλλ' ὧν ἐπαιτεῖς ἐς δέον πάρεσθ' ὅδε
Κρέων τὸ πράσσειν καὶ τὸ βουλεύειν,

pro *ἐς δέον τούτων ἃ ἐπαιτεῖς πάρεστι τὸ πράσσειν καὶ τὸ βουλεύειν,* — actio et consilium eorum, quae petivisti, ergo actio et voluntas rogationis.

Trach. 399.

ἦ καὶ τὸ πιστὸν τῆς ἀληθείας νέμεις;
ἴστω μέγας Ζεύς, ὧν γ' ἂν ἐξειδὼς κυρῶ.

Genetivus *ὧν* est attractione ortus ex *ἅ*; supplenda sunt enim „*νέμω τὴν ἀλήθειαν τούτων*“ *ἅ γ' ἂν ἐξειδὼς κυρῶ*, eorum quae cognita habeo.

Oed. Reg. 148.

τῶνδε γὰρ χάριν
καὶ δεῦρ' ἔβημεν ὧν ὅδ' ἐξαγγέλλεται.

Hunc quoque locum huc vocandum putavimus, quum *χάριν* non tam praepositio quam substantivum sit, quamvis per usum praepositionis „propter“ significationem habeat. Attractio ipsa facilis intellectu est, *τῶνδε χάριν ὧν ὅδε ἐξαγγέλλεται*, pro *τῶνδε χάριν ἃ ὅδε ἐξαγγέλλεται*, — *τῶν ὑπὸ τοῦδε ἐξαγγελθέντων χάριν.*

Duo exstant exempla, ubi enunciatio relativa attracta locum tenet genetivi partitivi,

Phil. 52.

ἀλλ' ἤν τι καινὸν ὧν πρὶν οὐκ ἀκήκοας κλύῃς...

pro *τούτων ἃ πρὶν οὐκ ἀκήκοας.* Est genetivus partitivus pendens a pronomine *τὶ.*

Phil. 1227.

ἔπραξας ἔργον ποῖον ὧν οὔ σοι πρέπον;

pro *ποῖον ἔργον τούτων ἃ οὔ σοι πρέπον*, facinus eorum quae fecisse te dedecet, — facinus, quod eorum numero habendum est, quae te fecisse dedeceat.

Vocabulum a quo pendet genetivus aut proxime ante pronomen relativum positum est, El. 771, aut ab eo sejunctum nonnullis verbis, Oed. Reg. 578, 1424. Oed. Reg. 148 pronomen demonstrativum, quod alias omitti solet, ante pronomen relativum attractum locum tenet. Trach. 399 vocabulum a quo pendet genetivus attractus supplendum est. — Enunciationes relativae breves sunt, ut in genere supra tractato; verba, quae praedicati vices gerunt, notiones habent varias.

β. Genus substantivum pendens a pronomine aut a nomine numerali.

Hoc loco tractanda sunt, excepto loco

Oed. Col. 991.

ἓν γάρ μ' ἄμειψαι μοῦνον ὧν σ' ἀνιστορῶ,

ubi nomen numerale *ἕν* regit genetivum, talia exempla, in quibus est formula *οὐδὲν ὧν* aut *μηδὲν ὧν*. Loci quibus illam formulam invenimus sunt hi:

El. 319.

φησίν γε, φάσκων δ᾽ οὐδὲν ὧν λέγει ποιεῖ,

pro *οὐδὲν τούτων ἃ λέγει, ποιεῖ*, i. e. „nihil eorum quae dicit, facit".

Simillima sunt cetera exempla, quare de iis nihil addendum videtur.

El. 1048.

φρονεῖν ἔοικας οὐδὲν ὧν ἐγὼ λέγω.

Ibid. 1220.

πῶς εἶπας, ὦ παῖ;
ψεῦδος οὐδὲν ὧν λέγω.

scl. *ψεῦδός ἐστιν οὐδὲν ὧν λέγω.*

Oed. Col. 1145.

δείκνυμι δ᾽· ὧν γὰρ ὤμοσ᾽ οὐκ ἐψευσάμην
οὐδέν σε, πρέσβυ.

Oed. Reg. 119.

θνήσκουσι γάρ, πλὴν εἷς τις ὃς φόβῳ φυγών,
ὧν εἶδε πλὴν ἓν οὐδὲν εἶχ᾽ εἰδὼς φράσαι..

Ibid. 862.

οὐδὲν γὰρ ἂν πράξαιμ᾽ ἂν ὧν οὐ σοὶ φίλον.

Trach. 346.

ἀνὴρ ὅδ᾽ οὐδὲν ὧν ἔλεξεν ἀρτίως
φωνεῖ δίκης ἐς ὀρθόν.

Ibid. 1121.

εἰπὼν ὃ χρῄζεις λῆξον· ὡς ἐγὼ νοσῶν
οὐδὲν ξυνίημ᾽ ὧν σὺ ποικίλλεις πάλαι.

Ibid. 1232.

ὡς ἐργασείων οὐδὲν ὧν λέγω θροεῖς.

Formula *μηδὲν ὧν* utitur poëta in exemplis:

El. 431.

ἀλλ᾽ ὦ φίλη, τούτων μὲν ὧν ἔχεις χεροῖν
τύμβῳ προςάψῃς μηδέν.

Oed. Col. 976.

μηδὲν ξυνιεὶς ὧν ἔδρων εἰς οὕς τ' ἔδρων.

Ibid. 1155.

δίδασκέ με,

ὡς μὴ εἰδότ' αὐτὸν μηδὲν ὧν σὺ πυνθάνει.

Aj. 115.

σὺ δ' οὖν, ἐπειδὴ τέρψις ἥδε σοι τὸ δρᾶν,

χρῶ χειρί, φείδου μηδὲν ὧνπερ ἐννοεῖς.

Phil. 253.

ὡς μηδὲν εἰδότ' ἴσθι μ' ὧν ἀνιστορεῖς.

Ibid 1394.

τί δῆτ' ἂν ἡμεῖς δρῷμεν, εἰ σέ γ' ἐν λόγοις

πείσειν δυνησόμεσθα μηδὲν ὧν λέγω.

Fere semper *οὐδέν* et *μηδέν* proximum ante pronomen relativum *ὧν* tenent locum; postpositum enunciationi relativae attractae invenimus *οὐδέν* duobus locis, Oed. Col. 1145, Oed. Reg. 119; sejunctum est pronomen relativum ab *οὐδέν* Phil. 253 vocabulis *εἰδότα ἴσθι;* pronomen demonstrativum antepositum est El. 431.

Hae enunciationes relativae constant ex duobus tantummodo vocabulis, excepto loco Oed. Reg. 862 et El. 431, ex pronomine relativo et praedicato, quod plurimis locis est verbum *λέγω;* alia verba dicendi Oed. Col. 1145 (*ὤμοσε*), 1155 (*πυνθάνει*), Phil. 253 (*ἀνιστορεῖς*), Trach. 1121 (*ποικίλλεις*), verbum sentiendi *ἐννοῶ* Aj. 115; verbum *ἔχω* El. 431, *δρῶ* Oed. Col. 976.

Semel adjectivum praedicati locum usurpat Oed. Reg. 862.

2. Genus substantivum pendens a verbo.

Sequitur altera species generis substantivi enunciationum relativarum attractarum, cujus exempla a verbis pendent.

El. 179.

ὁ δὲ λάθεται
ὧν τ᾽ ἔπαθ᾽ ὧν τ᾽ ἐδάη,

oblitus est eorum quae passus est. Est genetivus qui a verbis monendi et obliviscendi pendere solet. — —

Oed. Col. 50.

πρός νυν θεῶν, ὦ ξεῖνε, μή μ᾽ ἀτιμάσῃς,
τοιόνδ᾽ ἀλήτην, ὧν σε προςτρέπω φράσαι.

Genetivus ὧν pro τούτων ἅ pendet a verbo ἀτιμάσῃς. Cfr. quaeso Antig. 21.

οὐ γὰρ τάφου νῷν τὼ κασιγνήτω Κρέων
τὸν μὲν προτίσας, τὸν δ᾽ ἀτιμάσας ἔχει;

Oed. Col. 50 genetivus attractus non proximum post verbum, a quo pendet, locum tenet, sed sejunctus est verbis τοιόνδ᾽ ἀλήτην; in altero exemplo supra citato proxime est post verbum. — Cum his exemplis conferenda sunt duo, in quibus enunciationes relativae ab adjectivis pendent. Non opus est hos locos separatim tractare, quum adjectiva illa non per se genetivum regant, sed per notiones verborum, quae implicite iis insunt. Illa duo exempla sunt:

Oed. Col. 778.

πλήρη δ᾽ ἔχοντι θυμὸν ὧν χρῄζοις.

Krausius hunc locum non inter attractionis exempla numeravit, opinatus, ut videtur, genetivum ὧν pendere a verbo χρῄζειν; sed injuria. Verbum χρῄζειν apud Sophoclem aut cum accussativo rei aut cum infinitivo aut nude sine casu dicitur. Exempla praebet Foersterus pag. 13. Videamus quae dicat de structura verbi χρῄζειν in usu Sophocleo. „Χρῄζειν verbum significans „desiderare, cupere“ non genetivum, sed accusativum rei secum habet, sie haec pronomine aut adjectivo generis neutrius continetur, ut ex his locis apparet Oed. Reg. 595 ὥστ᾽ ἄλλα χρῄζειν ἢ τὰ σὺν κέρδει καλά. — Oed. Reg. 655 οἶσθ᾽ οὖν ἃ χρῄζεις; Oed. Col. 643 τί δῆτα χρῄζεις; Phil. 49 σὺ δ᾽ εἴ τι χρῄζεις, qui-

bus addam hos, in quibus ambigi potest, pendeatne accusativus ab ipso *χρήζειν* verbo an ab infinitivo verbi, quod est in enunciatione primaria, supplendo, Oed. Col. 916 *ὧδ' ἐπεισπεσὼν ἄγεις θ' ἃ χρήζεις*, 1175 *καὶ μὴ δρᾶν ἃ μὴ χρήζεις*, Trach. 416 *λέγ', εἴ τι χρήζεις*, 1120 *εἰπὼν ὃ χρήζεις λῆξον*. Cui legi non repugnat locus Oed. Reg. 932 *ἀλλὰ φράζ' ὅτου χρῄζων ἀφῖξαι*, siquidem hoc *χρῄζειν* verbum significationem habet: alicujus rei indigere, quae si obtinet, genetivus est legitimus, sive cujus aliquis indiget, est persona, ut Oed. Reg. 597 *νῦν οἱ σέθεν χρῄζοντες ἐκκαλοῦσί με*, sive res. Quae quum ita sint, et eo unde in hac quaestione profecti sumus loco Sophoclis Oed. Col. 778 structura *χρῄζειν τι* subaudienda et attractio statuenda est." Hanc si statuimus esse structuram verbi *χρῄζειν* apud Sophoclem, verba supra citata non alio modo explicari possunt, quam ut dicamus *πλήρη δ' ἔχοντι θυμὸν ὧν χρῄζοις* posita esse per attractionem pro *πλήρη δ' ἔχοντι θυμὸν τούτων ἃ χρῄζοις*. — Sequitur alterum exemplum.

Oed. Reg. 788.

καί μ' ὁ Φοῖβος ὧν μὲν ἱκόμην
ἄτιμον ἐξέπεμψεν,

indignum iis, quorum causa veni; *ἄτιμον ὧν* pro *ἄτιμον τούτων ἃ ἱκόμην*. — Verba veniendi in graeca lingua accusativum secum habent ad id significandum, quade causa fiat actio veniendi. Sic dicitur Oed. Col. 1308 *τί δῆτα νῦν ἀφιγμένος κυρῶ;* ibid. 1291 *ἃ δ' ἦλθον, ἤδη σοι θέλω λέξαι, πάτερ*. —

3. Genus substantivum pendens a praepositione.

Notandae sunt hoc loco eae enunciationes relativae attractae, quae locum tenent substantivi a praepositione pendentis.

El. 1378.

ἄναξ Ἄπολλον, ἵλεως αὐτοῖν κλύε,
ἐμοῦ τε πρὸς τούτοισιν, ἥ σε πολλὰ δὴ

ἀφ᾽ ὧν ἔχοιμι λιπαρεῖ προὔστην χερί

ἀφ᾽ ων ἔχοιμι pro ἀπὸ τούτων ἅ.

Antig. 1068.

ἀνθ᾽ ὧν ἔχεις pro ἀντὶ τούτων ἅ.

Similiter

Oed. Col. 1489.

ἀνθ᾽ ὧν ἔπασχον εὖ.

Oed. Reg. 314.

ἄνδρα δ᾽ ὠφελεῖν ἀφ᾽ ὧν

ἔχοι τε καὶ δύναιτο, κάλλιστος πόνος

El. 1378 et Oed. Reg. 314, quae exempla omnino similia sunt, poëta utitur praepositione ἀπό, verbo ἔχειν; enunciationes relativae attractae nullis constant vocabulis nisi pronomine relativo attracto et verbo, quod praedicati locum tenet, Oed. Col. 1489 et Antig. 1068 est praepositio ἀντί, verbum illo loco πάσχειν, hoc loco ἔχειν; alia, quae sunt memoratu digna, eadem sunt, atque in illis duobus locis. — Praepositio περί post enunciationem relativam posita invenitur Oed. Reg. 707 σὺ νῦν ἀφεὶς σεαυτὸν ὧν λέγεις πέρι ἐμοῦ ἐπάκουσον. Hoc exemplum mea quidem sententia non inter attractionis exempla vocandum est, qua de causa infra disputandum videtur, ubi verba facienda sunt „de locis quibus non est attractio“. Cfr. pag. 20.

B.

Dativus pronominis relativi attractus.

Alterum genus pronominis relativi attracti, quod apud Aeschylum non exstat (cfr. Krause pag. 7 et Foerster extrema pag. 44), in eo positum est, ut dativus pronominis relativi inveniatur positus pro accusativo relato ad antecedentem dativum. Exempla hujus generis apud So-

phoclem quoque haud multa inveniuntur, numerus omnium est septem et quidem inveniuntur his locis:
Oed. Col. 334, 478, 1412.
Phil. 907, 1012.
Oed. Reg. 350. — El. 177.

Eodem modo atque in attracto genetivo etiam in dativo distinguimus genus attributivum et genus substantivum.

a. Genus attributivum.

Tractanda sunt in hoc genere haec exempla:
Oed. Col. 334.

ξὺν ᾧπερ εἶχον οἰκετῶν πιστῷ μόνῳ,

i. e. *σὺν τῷ μόνῳ πιστῷ τῶν οἰκετῶν, ὃν εἶχον,* velut si latine diceres „quocum solo habui servorum fidorum", pro „cum solo, quem habui, servo fido".

Oed. Reg. 350.

ἐννέπω σὲ τῷ κηρύγματι
ᾧπερ προεῖπας ἐμμένειν,

pro *τῷ κηρύγματι ὅπερ προεῖπας,* jubeo te in eo quod antea edidisti jussu manere.

Oed. Col. 478.

ἦ τοῖςδε κροσσοῖς οἷς λέγεις χέω τάδε;

pro *τοῖσδε κροσσοῖς, οὓς λέγεις.* „Num haec iis quae designasti vasis impleam? i. e. illis a te designatis". Oed. Reg. 350 substantivum, ad quod refertur enunciatio relativa attracta, articulum secum habet, quod raro fit, ideoque memoratu dignum mihi videtur; neque minus notandum, quod Oed. Col. 478 substantivo additum est pronomen demonstrativum *ὅδε*. Oed. Col. 334 locum usurpat enunciatio relativa attracta ante vocabulum a quo pendet, Oed. Reg. 350, Oed. Col. 478 post id posita est.

b. Genus substantivum.

Exempla hujus generis inveniuntur El. 177, Oed. Col. 1412, Phil. 907, 1012. Rursus in hoc genere eaedem species distinguendae sunt, quae in genetivo attracto.

Quum desint exempla generis substantivi a nomine pendentis, statim progrediamur ad

1. Genus substantivum pendens a verbo.

El 177.

μήθ᾽ οἷς ἐχθαίρεις ὑπεράχθεο
μήτ᾽ ἐπιλάθου,

i. e. *τούτοις οὓς ἐχθαίρεις,* ne irascere iis, quos odisti.

Oed. Col. 1412.

ὁ νῦν ἔπαινος, ὃν κομίζετον
τοῦδ᾽ ἀνδρὸς οἷς πονεῖτον,

οἷς πονεῖτον pro *τούτοις ἃ πονεῖτον.*

Phil. 1012.

δῆλος δὲ καὶ νῦν ἐστιν ἀλγεινῶς φέρων
οἷς τ᾽ αὐτὸς ἐξήμαρτεν οἷς τ᾽ ἐγὼ ᾽παθον,

ἀλγεινῶς φέρων τούτοις ἃ τ᾽ αὐτὸς ἐξήμαρτεν ἃ τ᾽ ἐγὼ ἔπαθον,

2. Genus substantivum pendens a praepositione.

Unus exstat locus in textu Sophocleo, ubi est dativus attractus a praepositione pendens.

Phil. 907.

οὐκ οὖν ἐν οἷς γε δρᾷς᾽ ἐν οἷς δ᾽ αὐδᾷς ὀκνῶ,

οὐκ ἐν τούτοις ἃ γε δρᾷς, ἐν τούτοις ἃ αὐδᾷς ὀκνῶ, — non in factis, sed in dictis tuis haesito.

Haec de iis, quibus est attractio pronominis relativi, locis Sophocleis; nunc quid de iis, quibus non est attractio, locis statuendum sit, videamus.

ALTERA PARS.

De locis Sophocleis quibus non est attractio.

„Bipartitam hanc quaestionem instituamus ita, ut primum de iis locis dicamus, in quibus genetivus aut dativus pronominis relativi falso per attractionem explicatur, aut recte se non habet, deinde proferamus locos, in quibus accusativus pronominis relativi exstat.“ (Foerster, pag. 16.)

a. De locis qui perperam per attractionem explicantur.

Hujus partis ab eo loco initium faciam, qui quidem non attractionem praebet, sed quem aliquis primo oculorum adspectu inter attractionis exempla referre posset. Oed. Col. 35.

αἴσιος
σκοπὸς προσήκεις ὧν ἀδηλοῦμεν φράσαι.

Locum diligentius inspiciamus oportet, quum *ὧν* sit conjectura Elmsleji; lectio enim codicum, quae praebet *τῶν ἃ δηλοῦμεν,* mendosa est hoc loco, quum sensus illorum vocabulorum prorsus repugnet sententiarum connexui, qui

optatur. Nam quum Oedipus quo loco sit nesciat, et hanc ob rem ex Coloneo viro ubi sit quaerat, contrarium praebent codices, quam quod requiritur; τῶν ἃ δηλοῦμεν nihil aliud est nisi: eorum quae scimus. Ergo Elmslejus, qui locum conjectura sanare studeret, scripsit ὧν ἀδηλοῦμεν, quam mutationem Nauckius accepit. Conjectura sine dubio sagaciter inventa est, quoniam mutatione accepta oratio optime procedit, praetereaque conjectura non multum deflectit a lectione tradita, quum tantum litera τ exciderit. Quomodo autem corruptela orta sit, non difficile est intellectu. Librarius ex negligentia scripsit ὰ δηλοῦμεν, sejuncto verbo a litera ἀ; posteriores qui non intelligebant ὧν ἀ δηλοῦμεν, ὧν in τῶν et ἀ in ἃ mutaverunt. Neque lectio τῶν ἀ δηλοῦμεν pro recta haberi poterat, quum, ut Nauckius recte adnotat, tragici in dialogi formulis pronominis relativi formis cum τ incipientibus non utantur nisi ad evitandum hiatum. Probamus igitur conjecturam Elmsleji Nauckium sequentes; sed cavendum est, ne quis forma permotus, ὧν per attractionem interpretetur pro τούτων ἅ, nam genetivus ὧν suo jure locum tenet, pendens a verbo ἀδηλοῦν, quod genetivum regere solet. Repudianda igitur est eorum opinio, qui ὧν per attractionem pro τούτων ἅ positum esse existiment.

Nunc proferamus locum, quem Krausius inter attractionis exempla numeravit, qui locus falso per attractionem explicatur.

Oed. Reg. 707.

σὺ νῦν ἀφεὶς σεαυτὸν ὧν λέγεις πέρι
ἐμοῦ ἐπάκουσον.

Qui attractionem statuere volunt, coacti sunt construere: ἀφεὶς σεαυτὸν περὶ τούτων ἃ λέγεις, te ipsum liberans ab omnibus quae dicis, quod minime bonum sensum praebet. Quanto rectior est structura „ἀφεὶς τούτων (genetivus separativus) περὶ ὧν λέγεις", te ipsum liberans ab omnibus de quibus dicis. Attractio hoc loco est nulla, et genetivus

ὧν suo jure locum tenet pendens a praepositione περί. — Ad confirmandam meam opinionem id etiam afferre possum, quod praepositio περί enunciationi relativae postposita est; contra omnibus locis, quibus pronomen relativum attractum sine ulla dubitatione pendet a praepositione, haec ante pronomen relativum posita est. Cfr. El. 1378 ἀφ' ὧν ἔχοιμι, Oed. Col. 1489 ἀνθ' ὧν ἔπασχον, Antig. 1068 ἀνθ' ὧν ἔχεις, Oed. Reg. 314 ἀφ' ὧν ἔχοι, Phil. 907 ἐν οἷς γε δρᾷς. —

Jam vero tractandus est locus, in cujus interpretatione discrepant viri docti Krause et Foerster, utrum attractio statuenda sit an non. Locus exstat.

Oed. Col. 967.

ἐπεὶ καθ' αὑτόν γ' οὐκ ἂν ἐξεύροις ἐμοὶ
ἁμαρτίας ὄνειδος οὐδέν, ἀνθ' ὅτου
τάδ' εἰς ἐμαυτὸν τοὺς ἐμοὺς θ' ἡμάρτανον.

Foerster per attractionem interpretatur locum, ubi enumerat exempla genetivi attracti a praepositione pendentis. Cfr. pag. 27. Contra Krause operam dat ut demonstret, attractionem esse nullam illo loco his verbis pag. 18: „Perperam Schneidewinius in Soph. Oed. Col. 967 attractionem esse statuit, quod et interpretatio et constructio grammatica vetant. Verus enim loci sensus hic mihi esse videtur, „nullum peccati opprobrium mihi invenias, propter quod (vel planius: ad quod luendum) haec in me peccavi". Neque si per attractionem ἀνθ' ὅτου explicares„ ita ut esset pro ἀντὶ τούτου ὅ, fieri posset, ut τάδε referretur ad relativum ὅ". —

Recte disputat ex mea sententia de hoc loco Krause, qua de causa hujus sententiae adstipulor, contra Foersteri opinionem abjicio.

Trach. 1194.

ἐνταῦθά νυν χρὴ τοὐμὸν ἐξάραντά σε
σῶμ' αὐτόχειρα, καὶ ξὺν οἷς χρῄζεις φίλων,
πολλὴν μὲν ὕλην τῆς βαθυρρίζου δρυὸς

κείραντα, πολλὸν δ' ἄρσεν' ἐκτεμόνθ' ὁμοῦ
ἄγριον ἔλαιον, σῶμα τοὐμὸν ἐμβαλεῖν. —

Hunc locum Foerster jure ab attractionis exemplis exulare jussit. Nunquam enim accusativus personae cum *χρήζειν* verbo construitur. Dativus *ξὺν οἷς* non per attractionem explicandus est, sed ut El. 1235 *εἴδεθ' οὓς ἐχρῄζετε* et Oed. Reg. 1274 *οὓς δ' ἔχρῃζεν οὐ γνωσοίατο* accusativus *οὓς* non a verbo *χρήζειν* pendet, sed a supplendis infinitivis *ἰδεῖν* et *γνῶναι*, sic hoc loco *ξὺν οἷς* pendet ab infinitivo *ἐξᾶραι* ex antecedente *ἐξάραντα* supplendo.

b. **De locis quibus Sophocles attractione non usus est.**

Postquam priore hujus capitis parte eos tractavimus locos, qui perperam per attractionem explicati sunt, sequenti parte nobis disputandum erit de iis locis, quibus Sophocles pronomen relativum, quamquam nomen aliquod in genetivo aut dativo positum antecedit, aut supplendum est, in accusativo posuit. Jam hujus usus exempla subtile et argute perscrutare non praetermittendum est, ut ad judicanda exempla, in quibus est vera attractio, intelligamus, utrum poëta ex certis quibusdam regulis usus sit attractione an non. Ergo omnes loci hic enumerandi sunt, ubi accusativus pronominis relativi refertur ad vocabulum in genetivo aut dativo positum. Jam vero si necessariam esse hanc hujus commentationis partem statuimus, quod ex iis quae modo diximus omnibus apparebit, vituperandus est Krause, qui hunc laborem sustinere neglexit.

Atque quoniam prima commentationis parte observavimus attractioni fere semper locum dari ubi enunciatio relativa partem necessariam sententiae primariae contineat aut cum nomine a quo pendet aut cui attributa est quasi in unum coalescat, nunc nostrum est, causas invenire, cur poëta nonnullis locis accusativum pronominis relativi po-

suerit, etsi antecedit genetivus aut dativus alicujus vocabuli. Jam quum diversae sint causae neglectae attractionis, nos singula exempla ad se vocant. Ac primum duo in unum locum colligamus exempla, in quibus poëta attractionem omisit ex iisdem fere causis.

Phil. 493.

πατρί μ' ὡς δείξῃς φίλῳ,
ὃν δὴ παλαιὸν ἐξ ὅτου δέδοικ' ἐγὼ
μή μοι βεβήκοι.

Oed. Col. 1569.

ὦ χθόνιαι θεαὶ σῶμά τ' ἀνικάτου
θηρός, ὃν ἐν πύλαισι
φασὶ πολυξένοις
εὐνᾶσθαι.

Cur poëta neglexerit attractionem his duobus locis non difficile est intellectu. Nam ut omittam, quod enunciatio relativa tantum habet ambitum, quantum nusquam invenimus in enunciationibus relativis attractis, quae breves esse solent et unius vocis loco positae, structura totius enunciationis confunderetur sensusque obscurus fieret adhibita attractione. Nam in priore exemplo jam exstat abnormitas quaedam a simplici dicendi ratione, quum subjectum enunciationis secundariae „μή μοι βεβήκοι" objecti locum teneat in enunciatione primaria „ὃν δὴ παλαιὸν ἐξ ὅτου δέδοικ' ἐγώ". Nam qui nullis dicendi artificiis utitur, diceret hoc loco: „δέδοικα μὴ οὗτος μοι βεβήκοι", timeo ne hic mihi obierit, et non „quem timeo ne obierit". Est idem quod Horatius Sat. I. 1, 77—78 — dicit „formidare malos fures, incendia, servos ne te compilent fugientes". Jam quum hoc artificio orationis uteretur poëta, non eodem loco aliam adhibere potuit figuram, nisi sensus fieret obscurus et structura artificiosior, quam elegantior.

Eodem modo artificiosior fieret structura altero exemplo Oed. Col. 1569, quum accusativus ὃν subjectum sit accusativi cum infinitivo, quem vocant, quam structuram

non facile cognosceres, si accusativus pronominis relativi per attractionem mutatus esset in genetivum. Jure etiam omittitur attractio.

Phil. 1147.

ἔθνη θηρῶν, οὓς ὅδ' ἔχει
χῶρος οὐρεσιβώτας

nam enunciatio relativa major est ambitu, quam quae attrahi posset. Semel enim enunciatio attracta pluribus quam tribus vocabulis constat Trach. 680, ubi eam quatuor vocabulis compositam videmus, hoc vero loco habemus quinque. Gravior etiam alia causa; nos enim „οὐρεσιβώτας" pro accusativo pluralis habemus: „multitudo ferarum, quas habet hic locus monticolas". Jam si recta est nostra opinio, attracto pronomine οὕς, ad quod refert οὐρεσιβώτας, confunderetur aut artificiosior fieret structura.

Progrediamur ad alia exempla.

Oed. Reg. 395.

ἀλλὰ μαντείας ἔδει·
ἣν οὔτ' ἀπ' οἰωνῶν σὺ προὐφάνης ἔχων
οὔτ' ἐκ θεῶν του γνωτόν.

Statim primo oculorum adspectu nemini obscura esse potest causa omissae attractionis; nam nemo est, qui credat enunciationem relativam partem necessariam enunciationis antecedentis esse; pronomen enim relativum hoc loco fere demonstrativam notionem habet, nam significat „καὶ ταύτην". Praeterea enunciatio majore est ambitu, quam quo enunciationes relativae attractae esse solent. —

Oed. Reg. 346.

καὶ μὴν παρήσω γ' οὐδέν, ὡς ὀργῆς ἔχω,
ἅπερ ξυνίημ'.

Abest ab hoc loco attractio. Aeschylus in pronominis ὅσπερ usu attractionem non adhibuit. (Foerster p. 47.) In Sophoclis fabulis eam invenimus Aj. 115 φείδου μηδὲν ὧνπερ ἐννοεῖς Oed. Col. 334 ξὺν ᾧπερ εἶχον οἰκετῶν πιστῷ μόνῳ. Neglexit attractionem loco supra citato et El. 763

τοῖς ἰδοῦσιν, οἷπερ εἴδομεν. In hujus igitur pronominis usu Sophocles attractionem modo adhibuit modo neglexit. In pronominis *ὅσος* usu et Sophocles et Aeschylus attractionem non adhibuerunt, cfr. Oed. Reg. 1298 *ὦ δεινὸν ἰδεῖν πάθος ἀνθρώποις, ὦ δεινότατον πάντων ὅσ' ἐγὼ προσέκυρσ' ἤδη.* Trach. 1150 *φήμην πύθησθε θεσφάτων, ὅσ' οἶδ' ἐγώ.* — Oed. Col. 223 *δέος ἴσχετε μηδὲν ὅσ' αὐδῶ.* — Phil. 1161 *μηκέτι μηδενὸς κρατύνων ὅσα πέμπει βιόδωρος αἶα.* — Phil. 471. *ἐν κακοῖσι τοῖσδ', οἵοις ὁρᾷς ὅσοισί τ' ἐξήκουσας ἐνναίοντά με* attractio non est, quum dativus pendeat ab *ἐνναίοντα.*. Neque in pronomine *οἷος* Sophocles attractione usus videtur, quam neque loco modo citato neque Trach. 443 *οὗτος γὰρ ἄρχει καὶ θεῶν ὅπως θέλει, κἀμοῦ γε· πῶς δ' οὐ χἀτέρας οἵας γ' ἐμοῦ;* attractio statuenda sit. Hoc enim loco genetivus *οἵας* per assimilationem potius explicandus est. (cfr. Plat. Symp. p. 220 B. *ὄντος πάγου οἵου δεινοτάτου.*

Venimus ad unum apud Sophoclem locum, quo docemur poëtam attractionem non admisisse in iis enunciationibus, quae ad nomen proprium aut pronomen personale referuntur. Exstat hic locus.

Phil. 977.

Ὀδυσσέως, σάφ' ἴσθ', ἐμοῦ γ' ὃν εἰσορᾷς.

Cur poëta hoc loco non usus sit attractione dubium esse non potest; nam nomen ad quod enunciatio relativa pertinet, per se claram et distinctam notionem habet, ita ut definitione opus non fuerit per enunciationem relativam, sed appositionis ratione enunciatio relativa adjuncta videatur. —.

Sequitur Trach. 350.

ἃ μὲν γὰρ ἐξείρηκας ἀγνοίᾳ μ' ἔχει,

ubi Sophocles attractionem adhibere poterat, sed omisit. Quum enim enunciatio relativa tam arcte cum verbis *ἀγνοίᾳ μ' ἔχει* cohaereat, ut ab iis sejungi non possit, statuendum est, Sophoclem aut neglexisse attractionem, quod ego quidem non probo, aut alio modo omissam attrac-

tionem enunciationis relativae explicari posse. Sane per attractionem tollitur difficultas, quum ἀγνοίᾳ μ' ἔχει eandem habeat significationem, quam ἀγνοῶ, et ut alias a verbo ἀγνοῶ, ita hoc loco a locutione „ἀγνοίᾳ μ' ἔχει" pendet accusativus objecti. Conjunge igitur ἀγνοίᾳ μ' ἔχει (ἀγνοῶ) ταῦτα, ἅ.

Nunc verba facienda sunt de duobus locis Sophocleis, quos Foerster commemoravit, ubi loquitur de iis exemplis quibus Sophocles attractionem non quidem adhibuerit, sed justa causa neglexerit (pag. 41.). Loci sunt:

El. 408.

πῶς εἶπας; ἦ τῷ δυσμενεστάτῳ βροτῶν;
ὃν ἔκταν' αὐτή. —

et El. 441.

οὐκ ἄν ποθ' ὅν γ' ἔκτεινε, τῷδ' ἐπέστεφε.

In altero exemplo haud difficile est intellectu cur omiserit attractionem Sophocles. Verba: ἦ τῷ δυσμενεστάτῳ βροτῶν (407) ab Electra, ὃν ἔκταν' αὐτή a Chrysothemi dicuntur. In hoc ipso ex mea sententia est causa neglectae attractionis, quod verba a duabus personis dicuntur, qua re per se efficitur, ut sententiae non tam arcte conjunctae sint, ut attractio locum habere possit.

De altero loco El. 441 planius explicandum videtur, quoniam simillimi complures inveniuntur a quibus et ipsis abest attractio. Sunt autem:

Aj. 255.

πεφόβημαι λιθόλευστον Ἄρη
ξυναλγεῖν μετὰ τοῦδε τυπείς, τὸν αἶσ' ἄπλατος ἴσχει.

Antig. 670.

ἀλλ' ὃν πόλις στήσειε, τοῦδε χρὴ κλύειν.

Phil. 803.

ἀντὶ τῶνδε τῶν ὅπλων, ἃ νῦν σὺ σώζεις.

Oed. Col. 1256.

δακρύσω, παῖδες, ἢ τὰ τοῦδ' ὁρῶν
πατρὸς γέροντος; ὃν ξένης . . . . ἐφεύρηκα

In omnibus his exemplis enunciatio relativa refertur ad antecedentis pronominis demonstrativi *ὅδε* genetivum aut dativum. Quid ergo? Hisne exemplis Sophoclem post pronomen demonstrativum *ὅδε* attractione usum non esse probatur? At vero obstant haec censenti alia exempla, quibus attractionem pronominis relativi ad antecedentis pronominis demonstrativi genetivum aut dativum relati videmus:

Oed. Col. 478.

ἦ τοῖςδε κρωσσοῖς οἷς λέγεις χέω τάδε;

pro *τοῖσδε κρωσσοῖς οὓς λέγεις.*

Trach. 241.

ὅθ' ᾕρει τῶνδ' ἀνάστατον δόρει
χώραν γυναικῶν ὧν ὁρᾷς ἐν ὄμμασιν.

Oed. Reg. 148.

τῶνδε γὰρ χάριν
καὶ δεῦρ' ἔβημεν ὧν ὅδ' ἐξαγγέλλεται.

Fuerit quispiam qui dicat in primo eorum exemplorum dativum *οἷς* pendere a verbo supplendo *χέειν*: *ἦ τοῖσδε κρωσσοῖς χέω τάδε, οἷς χέειν λέγεις;* Sed falsa videtur haec opinio, quia interrogare ei non jam licet, qui antea id jussus est.

In altero exemplo Trach. 241 eodem modo dicat quispiam, quum pronomine demonstrativo *ὅδε* tam efficaciter persona aut res aliqua indicaretur, ut alia definitione opus non sit, sic statuendum esse, ut verba „*γυναικῶν ὧν ὁρᾷς ἐν ὄμμασιν*“ quasi appositionis ratione pronomini *τῶνδε* adjuncta esse videantur, quare hoc exemplo id non probari, ut post pronomen *ὅδε* attractioni locum dari existimemus. Nobis vero haec structura quum artificiosior et quaesitior videatur, ne opinioni illi adstipulemur inprimis tertio prohibemur exemplo Oed. Reg. 148 *τῶνδε γὰρ χάριν καὶ δεῦρ' ἔβημεν ὧν ὅδ' ἐξαγγέλλεται,* „eorum causa, quae iste attulit“, in quibus nemo aliam structurám verbis inferre possit. Est igitur usus Sophocles post pronomen *ὅδε* at-

tractione pronominis relativi; quare videndum, quid de illis locis ſupra memoratis, quibus attractione non usus est, sit statuendum.

Primum igitur de Soph. Aj. 255.

πεφόβημαι λιθόλευστον Ἄρη ξυναλγεῖν
μετὰ τοῦδε τυπείς, τὸν αἶσ᾽ ἄπλατος ἴσχει.

Sophocles attractioni locum dedisse non videtur in formis pronominis relativi cum *τ* incipientibus, Aeschyli exemplum secutus (cfr. Foerster p. 47). Inest illis formis vis magis demonstrativa.

In Oed. Col. 1256.

δακρύσω, παῖδες, ἢ τὰ τοῦδ᾽ ὁρῶν
πατρὸς γέροντος; ὃν ξένης . . . ἐφεύρηκα,

enunciatio relativa „*ὃν ξένης — ἐφεύρηκα*" majorem habet ambitum, quam quae attrahi possit. Omnes enim enunciationes relativae attractae parvae sunt paucis verbis descriptae.

Antig. 670.

ἀλλ᾽ ὃν πόλις στήσειε, τοῦδε χρὴ κλύειν.

Attractionem omisit Sophocles, ne sensus verborum minus clarus et difficilior perspectu fieret; nam si posuisset „*ἀλλ᾽ οὗ πόλις στήσειε, τοῦδε χρὴ κλύειν,* intelligi non posset, utrum *οὗ* et *τοῦδε* generis neutrius aut masculini sint. Accedit quod in pronomine *ὅδε* major quaedam vis inest demonstrativa; videtur enim Sophocles attractionem adhibuisse post pronomen *ὅδε*, ubi magis determinativam habet significationem (= is qui, *οὗτος, ὅς*), non admisisse, ubi magis demonstrativam habet vim (= hic qui).

Eadem mihi videtur causa omissae attractionis in exemplis sequentibus.

El 441.

οὐκ ἄν ποθ᾽ ὅν γ᾽ ἔκτεινε, τῷδ᾽ ἐπέστεφε, —

et Phil. 803.

ἀντὶ τῶνδε τῶν ὅπλων, ἃ νῦν σὺ σῴζεις. —

TERTIA PARS.

De attractionis usu apud Sophoclem in universum disputatur.

Antecedentibus hujus commentationis capitibus quum perlustraverimus singulos locos Sophocleos, quibus est re vera attractio, quam vocamus, pronominis relativi, deinde examinatis iis locis quibus non est attractio sive falsa interpretatione virorum doctorum aut scribarum errore illata sive ab ipso Sophocle non usitata, restat, ut ex omnibus exemplis de quibus disputavimus, certas constituamus regulas, quas in usu attractionis Sophocles videtur secutus esse. Primum igitur dicendum est

A.

De natura et indole exemplorum.

Attractio pronominis relativi in eo posita est, ut accusativus pronominis relativi, qui refertur ad genetivum aut dativum antecedentem, non ponatur, sed genetivus aut dativus pronominis relativi. Alterum genus a Sophocle

primo usurpatum videtur, nam dativi pronominis relativi attracti apud Aeschylum exempla non inveniuntur. Neque vero omnibus locis, quibus accusativus pronominis relativi refertur ad antecedentem genetivum aut dativum, adhiberi apud Sophoclem attractionem supra vidimus, sed in iis tantummodo enunciationibus, quae notionem necessario arcteque cum praecedentibus verbis cohaerentem continent. Quod si non ita est, plerumque fieri solet, ut omittatur attractio pronominis; cfr. Oed. Reg. 395, El. 408.

Enunciationes relativae attractae parvae sunt, ex duobus aut tribus vocabulis, semel (Trach. 680) ex quatuor constant. Ubi pluribus ex vocibus constant, attractioni locus non datur; cfr. Oed. Col. 1256, Phil. 493, Oed. Col. 1569, Phil. 1147, Oed. Reg. 395.

Neque adhibetur attractio ubi ea fieret structura artificiosior aut sensus obscurior, cfr. Antig. 670 atque modo citata exempla Phil. 493, 1147, Oed. Col. 1569, Oed. Reg. 395. Ut in universum dicam, Sophocles non sine justa causa neglexit attractionem. El. 441, Phil. 803 omissam vidimus attractionem ne debilitaretur demonstrativa vis pronominis ὅδε, quum iis locis quibus illi pronomini non eadem inest vis demonstrativa, attractio locum habeat. (Trach. 241, Oed. Reg. 148, Oed. Col. 478.)

Interdum omittitur attractio quia constructio alia est atque primo adspectu videtur, Trach. 350.

Enunciationes relativae attractae aut attributi loco substantivo alicui aut alii nomini substantivi vices gerenti appositae sunt aut ipsae substantivi nominis vices gerentes pendent a nomine (substantivo aut pronomine aut nomine numerali) aut a verbo aut a praepositione. In hac quoque re apud Sophoclem progressum intelligere licet considerantibus primum nomina ad quae referuntur enunciationes relativae. Nam dum in Aeschyli exemplis semper, ut Foersterus pag. 45 docet, nomen ad quod enunciatio relativa refertur, nomen appellativum est, quod rem significat,

Sophocles majorem vocabulorum illorum praebet ambitum; nam primum exstant enunciationes relativae attractae, quae a nomine pendent personam indicante, Trach. 241 *γυναικῶν ὧν ὁρᾷς*, Oed. Col. 334 *ξὺν ᾧπερ εἶχον οἰκετῶν πιστῷ μόνῳ.*

Tum pendet enunciatio relativa a pronomine demonstrativo substantivi vices adhibente Oed. Reg. 148.

τῶνδε γὰρ χάριν
καὶ δεῦρ᾽ ἔβημεν ὧν ὅδ᾽ ἐξαγγέλλεται,

El. 431 *τούτων μὲν ὧν ἔχεις χεροῖν*, ect.

Necessarium non videtur huc affere omnia exempla, quae ex Sophoclis textu afferri possunt, praesertim quum diligentius ac planius de omnibus supra disputaverimus, sed nonnulla afferre satis erit, quae sententiam nostram probent.

Neque apud Sophoclem attrahi videtur pronomen relativnm ad antecedens nomen proprium aut pronomen personale, Phil. 977 *Ὀδυσσέως, σάφ᾽ ἴσθ᾽, ἐμοῦ γ᾽ ὃν εἰσορᾷς.* (Cfr. Foerster p. 47.)

Deinde duo nobis occurrerunt apud Sophoclem exempla, in quibus pendet enunciatio relativa ab adjectivis, Oed. Col. 778 *πλήρη δ᾽ ἔχοντι θυμὸν ὧν χρῄζοις*, Oed. Reg. 788 *καὶ μ᾽ ὁ Φοῖβος ὧν μὲν ἱκόμην ἄτιμον ἐξέπεμψεν.* Adjectivum illud *πλήρη* non per se vim habet regendi genetivum, sed per vim verbi, quae implicite inest in hoc adjectivo. In altero exemplo efficit a privativum genetivum *τούτων*. Cfr. El. 71 *καὶ μή μ᾽ ἄτιμον τῆσδ᾽ ἀποστείλητε γῆς.* Enunciationes relativae attractae, quae ab adjectivis pendent, apud Aeschylum exstant nullae.

Apud Aeschylum non usitatur articulus apud nomina substantiva, a quibus pendent enunciationes relativae attractae; apud Sophoclem is quidem fere semper abest, nonnunquam tamen invenitur. Ubi autem positus est, non sine causa hoc est factum. De qua re Krause verba fecit pag. 7 et quidem recte disputat. Legamus, quae adnotat ad Phil. 1191 et Trach. 1208. Phil. 1191 *τί ῥέξοντες ἀλλοκότῳ*

γνώμα τῶν πάρος, ὧν προὔφαινες; Articulo addito opus est ad substantivam notionem formandam *τὰ πάρος* res ante factae. Trach. 1208 *οὐ δῆτ' ἔγωγ' ἀλλ' ὧν ἔχω παιώνιον καὶ μοῦνον ἰατῆρα τῶν ἐμῶν κακῶν.* In altero substantivo *ἰατῆρα* insuper addito causa latet, cur ab incepta constructione deflectatur et *τῶν ἐμῶν κακῶν* ponatur, quum praecedens *ὧν ἔχω* solum substantivum *κακῶν* sine articulo et pronomine possessivo requirat".

In aliis duobus locis Aj. 993 *ὦ τῶν ἁπάντων δὴ θεαμάτων ἐμοὶ ἄλγιστον ὧν προςεῖδον ὀφθαλμοῖς ἐγώ,* et Trach. 241 *ὅθ' ᾕρει τῶν γ' ἀνάστατον δόρει χώραν γυναικῶν ὧν ὁρᾷς ἐν ὄμμασιν* articulus est servatus, quod in his locis enunciationes relativae quasi appositionis vices exhibent, quas poëta non in mente habuisse videtur, quum inciperet enunciationes. —

Neque in Aeschyli fabulis invenitur apud substantiva, ad quae referuntur enunciationes relativae attractae, pronomen demonstrativum (de qua re confer Krause pag. 5: In Aeschyli septem tragoediis occurunt ejusmodi attractionis novem loci: Agam. 316. 779. 941. Suppl. 583. Eum. 564. Choeph. 728. Sept. 291. 531. Prom. 967. Ex quibus plerique tales sunt, ut pronominis relativi generis neutrius pluralis sit positus, qui refertur ad genetivum pronominis demonstrativi omissum, ut in Ag. 316. 941. Suppl. 583. Eum. 564. Sept. 531. Prom. 967. Reliquis autem in locis praecedunt articulo et pronomine demonstrativo omissis substantiva, ad quae refertur genetivus pronominis relativi). Sophocles hoc quoque pronomine demonstrativo ante enunciationem relativam attractam usus est: Trach. 244, Oed. Col. 478, El. 431.

Enunciationes relativae attractae a pronomine *οὐδέν* vel *μηδέν* pendentes paucae apud Aeschylum sunt nam duo tantum exstant exempla hujus generis; contra Sophocles in deliciis habuit illud attractionis genus, nam exhibent formulam *οὐδὲν ὧν* et *μηδὲν ὧν* 15 exempla.

Nonnulla quoque dicenda sunt de positione enunciationum relativarum attractarum eorumque nominum, a quibus pendent, quoniam etiam hac in re progressus intelligi potest, si duos poëtas Aeschylum et Sophoclem inter se comparamus. Apud Aeschylum semper vox a qua pendet enunciatio relativa huic enunciationi proxime antecedit, nullo vocabulo sejuncta a pronomine relativo; apud Sophoclem haec simplex verborum collocatio iis tantummodo locis semper invenitur, ubi pendet enunciatio relativa a praepositione; El. 1378 *ἀφ' ὧν ἔχοιμι*, Antig. 1068 *ἀνθ' ὧν ἔχεις*, Oed. Col. 1489 *ἀνθ' ὧν ἔπασχον*, Oed. Reg. 314 *ἀφ' ὧν ἔχοι*, Phil. 907 *ἐν οἷς γε δρᾷς, ἐν οἷς δ' αὐδᾷς*.

(Exempla Aeschylea a praepositione pendentia, ut de hac re per parenthesin verba faciam, non aliam praebent formulam, nisi *ὧν* genetivum pluralis pro *τούτων ἅ*, excepto loco Choeph. 741, ubi est genetivus singularis feminini *φήμης ὑφ' ἧς ἤγγειλαν*. Sed apud Sophoclem inveniuntur exempla, in quibus pronomen relativum attractum in genetivo pluralis et in dativo pluralis pendet a praepositione et quidem alterius generis 4, alterius 1 exemplum.)

Saepe quoque invenitur ea positio vocabulorum, qua voces, a quibus, pendent enunciationes relativae attractae proxime antecedunt enunciationi relativae attractae in formulis *οὐδὲν ὧν* et *μηδὲν ὧν*, cfr. exempla collata pag. 11, sed in iis quoque non semper: *οὐδέν* postpositum Oed. Reg. 119, Oed. Col. 1145, sejunctum Phil. 253. In omnibus aliis exemplis et in genere attributivo et in substantivo regulam illam ab Aeschylo servatam non servavit Sophocles, quam rem nonnullis exemplis explicaturi sumus. Itaque in genere attributivo nomen ad quod refertur enunciatio relativa attracta aut proxime ante eam positum est, (Aj. 993, Phil. 588, 1191, Trach. 241, 623) aut proxime post (El. 873, 1108, 763, Trach. 680, 1208, Phil. 844) aut sejunctum ab ea una aut pluribus vocibus (Aj. 993, Phil. 588, Trach. 623, 680). — Praecipue memoratu

dignus est locus El. 763 *οἷπερ εἴδομεν μέγιστα πάντων ὧν ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν*. Non solum non antecedit genetivus a quo pendet enunciatio relativa, sed etiam adjectivum a substantivo sejunctum est.

Non alio modo in genere substantivo diversa est collocatio vocabulorum; nam nonnullis locis exceptis, cfr. Oed. 578, 1424, in quibus inter pronomen relativum et vocem, a qua pendet, verba non interseruntur, multa exempla habent sejunctam enunciationem relativam et nomen, unde pendet. Exempli gratia Oed. Reg. 578 *ἄρνησις οὐκ ἔνεστιν ὧν ἀνιστορεῖς*.

Haec de vocibus a quibus pendent enunciationes relativae attractae earumque positione; nunc de ipso pronomine relativo attracto.

Atque in pronomine *ὅσπερ* Aeschylus quidem attractione nusquam est usus, Sophocles eam modo adhibuit (Aj. 115, Oed. Col. 334), modo non adhibuit. In pronomine *ὅσος* Sophocles quoque nusquam attractione usus est (Oed. Reg. 1298, Trach. 1150, Oed. Col. 223, Phil. 1161). Neque inveniuntur exempla pronominis *οἷος* attracti (cfr. pag. 24). In pronomine *ὅς* apud Aeschylum semper est accusativus pronominis relativi neutrius generis, (excepto Choeph. 741. cfr. Foerst. 47), qui attrahitur; apud Sophoclem neutrum pronominis et masculinum et femininum genus neque id quidem raro, ut exempla docent. Masculinum his locis: Phil. 588 *μηδένα λόγων ὧν ἀκήκοας*, pro *οὓς ἀκήκοας*. Phil. 884 *φάμαν λόγων ὧν ἀμείβῃ*, pro *οὓς ἀμείβῃ*. Trach. 623 *λόγων τε πίστιν ὧν ἔχεις*, pro *οὓς ἔχεις*. Trach. 680 *θεσμῶν ὧν ὁ θὴρ με προὐδιδάξατο*, pro *θεσμῶν οὓς με προὐδιδάξατο*. El. 771 *μῖσος ὧν τέκῃ*, pro *μῖσος τούτων οὓς τέκῃ*. Oed. Col. 334 *ξὺν ᾧπερ εἶχον οἰκετῶν πιστῷ μόνῳ*, pro *σὺν τῷ μόνῳ πιστῷ τῶν οἰκετῶν ὃν εἶχον*. El. 177 *μήθ' οἷς ἐχθαίρεις ὑπεράχθεο*, pro *μήθ' τούτοις ἐχθαίρεις*. — Femininum exstat his locis: Trach. 241 *γυναικῶν ὧν ὁρᾷς*, pro *γυναικῶν ἃς ὁρᾷς*. El. 1108 *φήμης ἧς ἠκούσαμεν*, pro *φήμης ἣν ἠκούσαμεν*.

Sed abesse videtur attractio ab iis pronominis relativi formis, qui cum *ι* incipiunt, cfr. Aj. 755 *πεφόβημαι λιθόλευστον Ἄρη ξυναλγεῖν μετὰ τοῦδε τυπείς, τὸν αἶσ' ἄπλατος ἴσχει*, ut in iisdem formis Aeschylus attractione non usus est. (cfr. Foerster. pag. 47.)

Venio nunc ad verba, quae exstant in enunciationibus relativis attractis. Atque jam primo adspectu cerni potest apud nonnulla verba attractionem saepe inveniri, apud alia raro. Reperiuntur exempli gratia verba habendi El. 431, 873, Trach. 623, 1208, Oed. Reg. 314, Oed. Col. 1489; videndi El. 763, Aj. 993, Trach. 241; dicendi Phil. 844, 1191, El. 319, 346, 1048, 1220; Oed. Reg. 350, Oed. Col. 478 ac fere in omnibus exemplis in quibus est *οὐδέν* aut *μηδὲν ὧν*; audiendi El. 1108, Phil. 588; docendi Trach. 680, alia verba Aj. 115 (*ἐννοέω*), Oed. Col. 976 (*δρῶ*), 1489 (*πάσχειν*); adjectivum praedicati locum tenet Oed. Reg. 862.

Restat tantum, ut verba faciam de forma verbi, quae est in enunciatione relativa attracta. Quum multis et aliis rebus, ut supra vidimus, tum hac re progreſſus intelligi potest apud Sophoclem; nam quum Aeschylus tantum praebeat indicativum in enunciatione relativa attracta, Sophocles, qui multis in locis indicativo usus est, nonnulla exempla praebet, quae conjunctivum habent, Trach. 399 *ἴστω μέγας Ζεύς, ὧν γ' ἂν ἐξειδὼς κυρῶ*, El. 771 *μῖσος ὧν τέκῃ*. Optativum praebent El. 1378 *ἀφ' ὧν ἔχοιμι*. Oed. Reg. 314 *ἄνδρα δ' ὠφελεῖν ἀφ' ὧν ἔχοι τε καὶ δύναιτο*. El. 1378 *ἀφ' ὧν ἔχοιμι*. Oed. Reg. 314 *ἀφ' ὧν ἔχοιμι*. —

B.

De numero exemplorum.

In extrema parte totius commentationis, ut erat propositum, mihi dicendum est „de numero exemplorum“. In fabulis Sophocleis septem sunt 49 exempla, contra apud Aeschylum 8; apud hunc igitur exhibet unum attractionis exemplum versus quingentesimus quinquagesimus; apud Sophoclem cujus sunt e Nauckii numeratione 10323 versus ducentesimus decimus. Atque genetivi quidem attracti inveniuntar 42, dativi 7 exempla; generis attributivi sunt exempla 14, generis substantivi 35. Progressum illum magis intelligere licet, si fabulas inter se comparaverimus, quae res optime procedit, si singulas fabulas, quo temporis ordine poëta scripserit, tractamus. Ordiendum est ab Antigona et Ajace, quas fabulas primas fuisse compositas a Sophocle satis constat, in quibus fabulis dilucide apparet, attractionem pronominis relativi rarissime usurpatam esse, qua ex re recte colligi potest illum usum prima Sophoclis aetate nondum floruisse; nam in Antigona 1, in Ajace 2 exstant exempla. In omnibus aliis tragoediis jam plura inveniuntur exempla, in Trach. 8, in El. 11, in Oed. Reg. 8, in Philoct. 9, in Oed. Col. 10.

Multo clarius autem in oculos venit progressus ille in dativo attracto; nam in antiquissimis Sophoclis fabulis Antigona et Ajace inveniuntur exempla hujus usus nulla, et omnino in aliis fabulis 7, quarum praebet El. unum exemplum, Oed. Reg. unum; in Philoct. exstant duo, et in Oed. Col., quae fabula ultima a poeta composita putatur, tria. —

Jam satis constat ex antecedentibus attractionem pronominis relativi pedetentim processisse; post Sophoclem

magis magisque crescit usus, ita ut non solum in poëtarum, sed etiam in prosaicorum operibus inveniatur.

Haec sunt, quae de attractione pronominis relativi apud Sophoclem dicenda mihi videbantur.